

ipsosque infecisse. Idem firmat Planis Campius. (e) Rursus Wierus (u) ad leporosum Equitem cum Valentiniana meretricula pretio quinquaginta Coronatorum consuescentem, non ignobilem certe hujus Luis originem refert. Horridiora sunt, quæ Paracelsus (x) habet: audiamus tamen Virum inter suos Clar. stilo simplici, ut Helvetium decebat, & sine scrupulosa verborum ambage sese expedientem, dum ex concubitu Galli leprosi cum scorto menstruante, & bubonibus circa inguina conspurcato originem morbi derivat. Itidem Sennertus (y) ad menstruantes Indorum mulieres respexit, ab Hispanis compressas. Nec multum diversus ab his Helmontius est, (z) qui, licet ad obsessam Neapolin morbi ortum faciat, inde tamen deductum vult, quod nequam homo Sodomicum exercuerit cum equo verme laborante.

Mitiores videntur fuisse, qui in vagam hominum libidinem & immundum illud meretricularum genus culpam rejiciunt; quos inter Dolæus, (a) hunc morbum ubivis originem habere posse autumat, si homines cum multis scortis rem habuerint. Qua in re ipsi consentit Maynwaringius: (b) idemque ante ambos hosce scriptores Zacut. Lusitanus. (c) Et nuper celebris inter Gallos scriptor Gervais Ucay, *Traite de la Maladie Venerienne* cap. 1. cum ita scribit: *On sait que si une fille parfaitement saine & pucelle, si on vent, afin qu'il n'y ait aucun soupçon de mal venerien, se mêloit parmi une demi-douzaine de garçons aussi sains qu'elle, & se debauchoit tour à tour avec eux, ou les uns ou les autres auroient bientost la Verole, & tous ensemble la contrateroient enfin par la repetition des actes venériens.* Et paulo post: *les personnes raisonnables ne doutent plus que la verole, ne si produise de cette façon.* Evidem ex illa communicatione & promiscua libidine tradi hodie morbum nec

(t) *La Verolle reconvive, combattre & abbatre* cap. 3. (u) *Med. Observ. lib. 2. §. 1.* (x) *Lib. 2. Chirurg. M. cap. 7. Tr. 1. part. 2.* (y) *Op. Med. T. 3. lib. 6. p. 4. cap. 4.* (z) *d. Tr. p. 846.* (a) *Med. Theor. Pr. lib. 3. c. 15.* (b) *d. l. cap. 4.* (c) *Lib. 1. Hist. 7. qu. 36.*